



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Ca. XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

proinde oportet sese manui eius captiuos dare, et
 pro peccatis eius iusta confiteri, siue adsequatur ea, siue non
 adsequatur humana ratio.

CA. XXXVIII

Respondens Dominus Hiobi, de tur-
 bine dixit.

Quis est iste, qui abscondit consilium,
 sermone imprudenti?

Accinge sicut uir lumbos tuos, inter-
 rogabo te, & demonstra mihi.

Vbi eras cum fundabam terram, ad-
 nuncia, si noueris intelligentiam?

Quis posuit mēsuras eius, an nouistit
 aut quis extendit super eā perpendiculū.

Super quid columnæ eius defixæ sunt
 aut quis posuit lapidem angulare eius?

Cum laudarent (me) simul stellæ ma-
 tutinæ, & iubilarent omnes filii Dei.

Quis occuluit ostiis mare, cum erum-
 peret (quasi) de uulua egrediens?

Cum ego ponerem nubē uestimentū
 eius, & caliginem, in uolutionem eius.

Cum contererem fluxum eius, & statu-
 to meo, & ponerem uestem, ostia.

Et

Et dicerē, usq; huc uenias, & non pergas, & hic colloces tumentes fluctus tuos.

RESPONDENS DOMINVS &c.

Hactenus Elibu, oratione sua uindicauit Deū ab iniusticia, qua aduersauerat eum Hiob, cōquestus se in iudicium, magis seuerum, quā iustum coniectum esse: præterea docuit, e maiestate diuinorum operum, nulli hominum licere Deo resistere, & creatori suo dicere, quia facis? eum enim solum habere, rerum omnium potestatem, cui nemo resistere, nec audeat, nec possit: nunc Dominus sui ipsius patronus factus, & huius disputationis sequester, his sequentibus capitulis à calumnijs & iniusticia, auctoritatē suam uindicat, docens id, quod breui quodam compendio, Paulus Ro. ii. complexus est. O profunditatem diuitiarū, & sapientiæ, & cognitiōis Dei, quā inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiae eius, quis cognouit mentem Domini? aut quis illi fuit à cōsilijs? tam si imperuestigabiles sunt uiae Domini, quis tanq̄ omnium consiliorum eius gnarus, audebit eum iniusticie, in operibus suis, dum adfligit pios, aduersare? Est autem huius orationis dei status, nemini licere dominum, iniusticie aduersare: confirmatio eius est, quod Dominus solus, est omnium rerum CREATOR, & confirmatio, amplificatione quadam, per singulas ferē creaturarum partes probatur. Porro, Dominus

Disputatio.

Dominus iniustus est, quia omnium creator.

A N N O T. I N H I O B.

Turbo. nus dicitur de turbine loqui, quia quæ sequuntur, lo-
gis uerba sunt, quibus declaratur & auctoritas ma-
statis Domini, & imprudens, ac impiū Hiobis pecc-
tū: lex enim nō datur nisi tumultu & tempestate, ut
habes in Exo. & aliās ē tali etiā turbine, locutus est
Dominus Helia, cū corrigeret falsam eius opinionem
existimātis se solū, in Israël relictū, q̄ Deū uerū colat,
sed audit ex turbine, dereliqui mihi septē milia uirorū,
quorū genua nō sunt curuata ante Baal, 3. Reg. 19.

QVIS EST ISTE QUI ABSCONDIT.

Procemij interrogatio, iratum ostendit Deum, ha-
bet enim in se, nescio quid, latētis mordacitatis & ira-
cundia, interrogatio: loquitur aut̄ Dominus, non de
Elihu, qui probe perorauit cōtra Hiobem, sed de Hio-
be, dicens: quem hic audio mihi resistentem, mea tur-
ditia blasphemantem, me iniusticia arguentem? quis
est iste Hiob, qui aduersus me, & occulto cordis cogi-
tatu ac murmure, & sermone impio insurgit? Tu ne
Hiob, audes uel hiscere contra meā maiestatem? age
itaq; para te, & ut mihi respōdeas, accinge sicut uir,
lumbos tuos, id est, expeditus esto, accingere enim
lumbos, est sese parare, ut in Euangelio: sint lumbi
uestri accincti, id est, sitis parati & expediti. Tu igitur
Hiob, paratus sis, ut audias me, & contra mihi re-
spōdeas: quanquā enim possem uel sola auctorita-
te mea, tibi os cohibere, rationibus tamen tecum agā

ne rursum conqueraris, te potius authoritatis maiestate, quam iure causse, opprimi.

VBI ERAS CVM FVNDABAM.

Probat Dominus à creaturarum conditione, nemini licere, diuinam authoritatem, iniusticie adcusare, aut ei resistere, nemo enim ex omnibus creaturis, dei consiliarius fuit, nec ei quicquam in orbis conditione, auxiliij contulit: proinde, potest pro sua uoluntate, citra omnem iniquitatem, quasuis creaturas tractare, et aliud uas in honorē, aliud in contumeliam, ut pro animo suo collibitum fuerit, creare. Principio Deus, nullo consiliario, nullo auxiliatore, terram creauit in sua mensura, numero, pondere, & stabilitate: extendit, super terram, perpendiculū suum, hoc est, suis finibus eam circumscripsit, & columnas eius defixit, hoc est, manu sua, quasi columna, terram sustinet, ne in aquas demergatur, natura enim sua, terra, medium aque centrum adpetit, sed potenti manu, & VERBO Domini, ex aquis eleuata est, Gen. 1. Congregentur aque sub coelo in unum locum, & adpareat arida. Deus quoque supposuit terrae, angularem lapidem hoc est, fundauit terram firmiter, tanquam fundamentum, ne in profundam aquarum abyssum, pro natura sua decidat: quis autem haec omnia facientem, & inenarrabili sua sapientia disponentem, audebit iniusticie, in operibus suis adcusare? nam etiam si in aliqui

Perpendicu-

la terre.

Columna

terre.

Angularis la

pis terre

Verbum.

bus uideatur nobis iniustus, semper tamen, quia in-
scrutabiles sunt uiae eius, iustus & bonus predicandus
est, fieri enim potest, ut quis sine merito sicut Hiob
adfligatur, non tamen fieri potest, ut Dominus iniuste
& impie, quantumuis pium hominem, adfligat:
quemadmodum e contra fieri potest, ut quis merito adfligatur,
qui tamen adfligit, immerito et iniuste adfligit
ut Iudaei iustissima causa, deuastati sunt, propter impietatem,
tempore Hieremiae: sed Nebucadnezar rex Babylonis, iniuste eos deuastauit, quia sine fide: omne
autem quod non ex fide est, peccatum est. Porro

Filius Dei, sapientia est patris.

Deus in creatione, nullum auxiliatorem aut consiliatorem habuit, praeter VERBUM, quod est, aeternum patris consilium, IESUM Christum, qui est thesaurus sapientiae & scientiae Dei. Prouerb. 8. Dominus possedit me ab initio uiae suae, ante opera eius eram, ab aeterno ordinata sum, ab initio ante terram.

Omnis creatura laudat Dominum.

CVM LAUDARENT ME SIMVL.
Vbi eras, cum initio creabam stellas, & filios Dei qui sunt angeli, laudem meam adnunciantes? omnia enim ad laudem Dei praedicandam, creata sunt, & ut aues cantu, ita stellae splendore suo, & angeli inenarrabili uoce clamantes: sanctus, sanctus, sanctus, Dominum creatorem celebrant.

QVIS OCCVLVIT OSTIIS MARE.
Est & mare incomprehensibile sapientiae Dei opus.
primum

primum enim erupit mare ex *òvδ&vía*, tanquam ex Mare opus
 uulua materna: dein, erāt tenebræ super faciē abyssi, Domini.
 hoc est, maris seu aquarum, ut habes Gene. 1. quæ te-
 nebræ hoc loco dicuntur nubes & caligo, quibus ma-
 re inuito, tanquam uestimento inuolutum erat, postre-
 mo, cum aquæ coelestes diuisæ essent ab aquis sub cœ-
 lo, congregauit Dominus mare, seu aquas in unū lo-
 cum, & conclusit eas suis terminis & ostijs, ne latius
 erumpant, quàm à Domino mandatum fuerint, Gen.
 1. Congregentur aquæ sub cœlo in unum locum.
 Hoc uerbo, Dominus conclusit fluctus marinos, ut se-
 quitur: posui uectem & ostia, & dixi, usq; huc ue-
 nies &c. hoc est, Dominus mandauit mari, ne ultra
 progrediatur quàm concessum sit, quo mandato tan-
 quā uecte & freno cōtinetur, ne pro natura sua to-
 tam terram inundet. Porro si allegoriam spectes, sunt
 & marinis fluctibus, hoc est, adflictionibus huius
 mundi, sui limites positi: non enim finit nos Domi-
 nus tentari, supra id quod possumus.

Nunquid in diebus tuis præcepisti ma-
 tutino offendisti auroræ locum suum?
 Ut adprehendantur fines terræ, & con-
 cutiantur impii de ea.

Subuertetur sicut lutum, signaculum
 & statuetur sicut uestimentum.

A N N O T. I N H I O B

Et remouebitur ab impiis lumen eorum, & brachium excelsum conteretur.

Nūquid ingressus es usq; in profundum maris, & in exploratiōe abyssi ambulasti?

Nūquid reuelatae sunt tibi portae mortis, & portas umbrositatis uidisti?

Intellexisti quantae sunt latitudines terrae? adnuncia, si noueris omnia.

Vbi est uia qua habitat lumen? & ubi est tenebrarum locus?

Vt adducas illud ad terminum suum, & intelligas semitas domus eius?

Sciebas quod tuac nasciturus eras, & numerum dierum tuorum multum?

Nunquid ingressus es ad thesauros niuis, & thesauros grandinis uidisti?

Quae abscondi ad tempus tribulationis, ad diem pugnae & belli.

Quia uia spargitur lux? dispergitur uentus orientalis super terram?

Quis diuisit inundationi cursum, & uiam ad paritioni tonitruum?

Vt pluat super terram, ubi nullus est, in desertum, ubi non est homo.

Vt impleat

Vt impleat desolata loca, & deserta ac
faciat germinare florem herbæ.

NON QUID IN DIEBUS TVIS.

Sunt et mane et aurora mirabilia Dei opera, Psal.
73. Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es au-
roram & solem

VT ADPREHENDANTVR &c.

Id est, quis tenet terram, ut impij de ea concutian- Domini opus
tur, nisi solus Deus: nam ut Deus creauit & fundauit est impiorum
terram, ita solus eam in manu sua tenet, excutiens de de terra per-
ea impios, nunc diluuiio: nunc incendio (ut Sodoma) ditio-
nunc deuastatione, & id genus malis: unde sequitur:
Subuertetur sicut lutum signaculum, hoc est, securi-
tas impiorum, qua ueluti sigillo quodam, ratificati &
confirmati sibi esse uidentur, dicentes: percussimus foe-
dus cum morte, & pactum cum inferno fecimus, cõ-
culcabitur & dissipabitur sicut lutum: confunduntur
enim impij in sua confidentia, & sicut uestimentum
statuuntur, hoc est, inueterascunt, compurescunt &
pererunt: quanquã enim uideantur aliquãdiu probe
constare, repentino tamen interitu aufertur ab eis lu-
men, & scelicitas eorum & superbia eorum: ac sa-
stus adrogãs cõteritur, ut habes in diuite apud Luc. 12

NON QUID INGRESSVS ES VS-

QUE &c. Solus Deus omnia scrutatur, nihil est ei
inuiuum, abyssus non tam profunda est, quin in ea nõ

A N N O T . I N H I O B

deambulet, huius rei unica hæc est causa, quia Deus est omnia in omnibus, & omnia implet, ut Psalmus 138. Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es &c. Quæ autem ratione, & quibus modis fiat, mens humana comprehendere nequit. Iam si nemo inuestigare poterit occultationem eius, quæ profundissima quæq; & abyssos altissimas administrat, quis explorare poterit rationem iustitiæ eius, multo plus occultatam, aut si non comprehenderit adcusare?

N V N Q V I D T I B I R E V E L A T A E & c.

Mors est omnium rerum obscurissima, & sive a tenebricosa undiq; conclusa caligine, semper tamen illuminata coram Domino patet, Proverb. 15. Infernus et perditio Deo patet: quæto magis corda hominũ &c. Nobis autem mors est undiq; tenebricosa, & horrendis tenebris obaucta: proinde, nemo est qui sine maximo damno, ingrediatur in mortem, nisi uero luminatus sit, qui est Iesus Christus: qui sermonem, inquit, meum seruabit, nõ gustabit mortem. Si igitur nemo sine malo, ingreditur noctis portas, quomodo quis ingredi posset abyssum iustitiæ?

I N T E L L E X I S T I Q V A N T A E & c.

Eccles. 1. Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundũ abyssi, quis dimensus est? iam si nullus hominum dimetri poterit corporalia & uisibilia, quæto
minimã

minus potest spiritulia & inuisibilia, ut sunt sapien-
 entia & iustitia Dei perscrutari: hinc etiam colligis
 Geometrarum computationem esse uanā, propterea
 quod nec terra, nec cœlum, mensura humana compre-
 hendi queant.

VBI EST VIA QVA HABITAT &c.

Quis unquam tam sapiens fuit, qui ratione explo-
 rauerit, unde, è qua domo, è quibus regiõibus ueniāt
 ad nos alternis, & ordine uicario, lux ac tenebræ? &
 quò rursus abeant? solus enim Dominus adducit lumē
 & intelligit semitas eius, & fides in Verbum Domi-
 ni respiciens, non nihil in his rebus comprehendit.

SCIEBAS QVOD TVNC NASCIT.

Solus Dominus creat, solus igitur ante creationē
 nos agnoscit: ait enim Apostolus Ephes. 2. Elegit nos
 in Christo, antequam fundamenta orbis iacta essent:
 nascimur autem nobis planē inscijs & octosis. Proin-
 de si mirabilem Dei, in nobis operationem, priusquā
 nascamur, explorare nequiverimus, quomodo posse-
 mus iustitiam eius inscrutabilē, inuestigare? Porro ut
 in creatione, tūc ppinquissimus nobis fuit Dominus,
 quū nihil minus nobis consciū erat: ita in afflictioe,
 tūc nobis proximus est, quū lōgissime abesse uidetur.

NVNQVOD INGRESSVS ES AD &c.

Nemo potest ascendere in sublime, ubi niues &
 grandines generantur: quis igitur poterit in cœlum

A N N O T . I N H I O B

Grando iræ
Dei instrumē
tum est.

ascendere, ad explorandam diuinam iusticiam et Dei
sapiētiam, in operibus eius, nisi quis fide conetur? Est
autem grando, iræ Dei instrumentum quo adfligit ho
mines propter peccata, & idolatriam, Exod. 9. Per
cussit grando in omni terra Aegypti, cuncta quæ suc
runt in agris, ab homine usq; ad iumentum, Iosue 10.
Mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm
quos gladio percusserāt filij Israël. Vnde ait hoc loco
quam abscondi ad tempus tribulationis, hoc est, repo
no grandinem, ut proferam eam ad pœnam impiorū
hominum, & ea adfligantur.

QVA VIA SPARGITVR LVX &c.

Lux uenti, aquarum cursus, tonitru adparitio hym
bres, & pluuiæ deserta irrigantes, & florem germin
nare facientes, habent suas semitas & uias, quibus ad
nos feruntur, quas quis hominum explicare potest?

Quis est pluuiæ pater? uel quis peper
it guttas roris?

De cuius utero egressa est glacies? &
pruinam cœli quis peperit?

Vt quasi sub lapide, aquæ abscondan
tur, & facies abyssi comprehendantur.

Nunquid cōiunxisti colligatiōes Plu
dum, uel uincula Orionis adperuisti?

Nūquid produces Luciferum in tem
pore suo, & arcturū ad filios suos duces?

Nunquid

Nunquid nouisti statuta cœli, aut pones
præconem eius in terras?

Nunquid eleuabis ad nubes tonitru-
um, & copia aquarum teges te?

Nunquid mittes fulgura ut eant & di-
cant tibi, ecce hic sumus?

Quis posuit in absconditis sapiëntiam,
uel quis dedit cogitationi intelligentiã?

Quis numerabit nubes in sapiëntia, &
lagenas cœli, quis facit quiescere?

Dum cogitur puluis in effusione, &
glebæ compinguntur.

QVIS EST PLVVIÆ PATER?

Pluuia, ros, pruina, & glacies, quo aquæ, quasi in
lapidem coguntur, & quæ usq; ad profunditates flu-
uiatum penetrat, non ab homine, nec ab ulla alia cre-
atura fiunt, sed à Domino. Simplicissime autē, hunc
locum intelligas, cum dicitur, Deus est pluuia pater,
peperit guttas roris, peperit pruina, de eius utero
egressa est glacies, quod nihil aliud est, q̄ Deus creat
& dat pluiã, guttas roris, pruina, & facit glaciẽ.

VT QVASI SVB LAPIDE &c.

Aqua enim, ita in glaciem indurescit frigore, ut
Crystallinum putares, siue glacies ita tegit aquas, sub
se nondū congelatas, ut uideantur quasi sub lapidibus

A N N O T. I N H I O B

abscondite: præterea, nõ in superficie solum aquarũ
concrefcit glacies, sed congelatur etiam usq; ad imas
fluminum profunditates, quod hic ait, comprehendat
facies abyssi.

N V N Q V I D C O N I V N X I S T I T E .

Non solum pluuia, rore, & glacie, Deus sapientiã
suam ostentat, sed etiam in mirabilibus stellarũ coniu-
git enim colligatiões Pliadũ . Pro Pladibus Hebraus
habet **אֲרִיֵּס**, de quo etiam supra, cap. 9. Scribunt
aut quidã esse cõgregationem septem stellarũ, in fine
signi Arietis, unde hoc loco, dicũtur colligatiões Pla-
dum cõiungi: sunt enim septẽ illæ stelle, quas gallinas
uocant, ita dispositæ, ut abinuicẽ nõ separentur, sicut
nec gallina à pullis suis . Pro Oriona Hebraus habet
הַיָּסוּד quod scribunt sydus esse ex stellis fixis, unde
forte, quia sydus fixũ est, hoc loco dicitur, neminẽ ad-
perire uincula eius, ut fiat erraticũ . Pro Lucifero He-
braus est **הַכּוֹכָב הַדָּרָגָה**, quod scribũt esse constellationẽ
meridionalẽ: Græcus intactũ reliquit **μ. α. ζ. ε. ρ. ω. σ.** Pro
arcturo Hebraus habet **וַיַּי** quod plaustrũ uocat,
& est totũ sydus draconis, ab adglomeratione & col-
lectione plurium stellarum, sic dictũ: significat enim
וַיַּי cõuenit, uel agglomerauit, unde hoc loco dici-
tur: ducẽs ne palustrum super filios suos, id est, tua ne
potentia sic adglomeratur plures Draconis stellæ?

N V N Q V I D N O V I S T I S T A T V T A .

Nemo

Nemo nouit caelorum statuta, aut ut uocant, influentias, nec quisquam inter homines, potest esse caelorum praeo & caduceator, qui adnunciet ac precipiat eis, ueluti dominio quodam, ut nunc hanc, nunc illam circumuoluantur, & nunc hanc, nunc illam uirtutem ex se praebent.

NUMQUID ELE VABIS &c.

Dominus tonitru, iram suam declarat, neque est ultra creatura, quae sua potentia, tam horrendum sonitum in nubibus, excitare possit: tormenta illa bellica quas bombardas uocamus, horrorem quidem tumultu suo incutiunt, sed collata ad tonitrua, uix sibilus sunt.

ET COPIA AQVARVM &c. Id est, an ne potes efficere, ut in caput tuum pluuia descendat de caelo? si igitur Hiob, haec non potes tam pusilla, consulo ut obmutescas, & me tanquam iniustum iudicem, non aduses.

NUMQUID MITTES FVLGURA.

Eiusdem omnipotentiae est fulgura excitare, quod opus humana imbecillitas, admirari duntaxat potest, efficere non potest, nam etiam si homo, fulguri quidpiam precipiat, non tamen emicat, quod si Deus dixit, uel minimum uerbum, mox praesto adest, & mandatum eius exequitur.

QUIS POSUIT IN ABSCONDITIS.

Homo cum brutis, si externos sensus respicias,

ANNOT. IN HIOB

utcuq; conuenit, longe autem excellit, si rationem
 sapientiam, aliâsq; animi dotes consideraueris: possit
 enim Deus sapientiam, in hominis abscondito, id est,
 in corde et intellectu, in animo, quæ sunt egregia Do-
 mini dona, sed ad suas, non alienas functiones depu-
 tata: nam ut inter corporis membra, unumquodq; sui
 habet manus: ab alieno abstinet, neq; enim manus u-
 det, neq; oculus ingreditur, neq; pedes audiunt: ita et
 animæ dotes, sua habent munera: prudentia enim et
 ratio, ad tractandas res ciuiles ordinatæ sunt, ad diu-
 na uero prorsus sunt incōmodæ, propterea, quod diu-
 na, fide, non ratione comprehendi queant.

QVIS NUMERABIT NUBES. etc.

Dominus enim est *νεφέλων κρητεις*, id est, nubis
 coga, nubes congregans et disponens: inter homines
 uero, nullus reperitur, qui possit aut cogere, aut con-
 cludere cœli lagenas (quæ sunt nubes) ne aqua effun-
 dant, postq̄ terra satis fuerat compluta, et glebæ eius
 sufficienter pluuiarum guttulis cōpactæ sint: iam si
 hæc pusilla, non potueris Hiob, qua fronte, audes mihi
 hæc omnia operanti, resistere?

CAP. XXXIX.

Nunquid uenaberis leenæ prædam,
 & bestiis carulos implebis?

vi in